

A D L E C T O R E M.

tanquam cynosuram meæ qualiscunq; scriptio[n]is.
Hinc factum, quòd doctrinam de themate, de prædicamentis, de fallaciis, de usu denique Logices in hoc Systemate tradiderim. Nam sine doctrinâ de thematis naturâ & varietate nulla disputatio, oratio nulla, nulla denique tractatio solida perfici vel etiam resolvi potest. Nimirum quod in ædibus est janua, id in quâvis tractatione methodicâ & artificiosâ est thema. Quod in corpore est caput, id in oratione est propositio. Hinc thema soleo conferre capiti, argumentum principale cordi tractationis, argumentum minùs principale ornamentis seu vestibus corporis. Si quis igitur non teneat animo præcepta de themate, quomodo amabo poterit feliciter thema aliquod tractare, vel tractatum ab alio resolvere? Prædicamenta Logicis instrumentis adnumeravi fretus argumentis duobus. Primum est: Notio secunda faciens ad bene disserendum, debet tradi in Logicis. At prædicamentum est hujusmodi notio. Alterum: Si doctrina de causâ, causato, subiecto, adjuncto &c. est Logicæ considerationis, quidni etiam fuerit doctrina de prædicamentis? Rationem hujus consequentiæ aliquoties dixi in ipsâ hâc tractatione, quò te amando. Nihil hîc dico de usu prædicamentorum in definitionibus constituendis, de voce ipsâ, quæ nobis argumento est, usum ipsorum Logicum esse (prædicamentum siquidem à prædicando nomen habet) nunc attingo nihil. Fallaciarum doctrinam præterire nullus potui, quando mecum perpendi, nullam disputationem haberi posse cum laude, nisi quis in illâ faltem infra mediocritatem sit versatus.

A 3